



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Instructio & declaratio circa examen.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](#)

**QVARTVM.** *Poscere cveniam de  
delictis.*

**QVINTVM.** *Proponere cum Dei  
gratiâ emendationem ; & Orationem  
Dominicam post dicta omnia recitare.*

*Pater noster, &c.*

### *De examine generali.*

**E**Xamen generale est Exercitium tanti momenti, ut vix aliud reperias, quod dæmonis conatibus & temptationibus maius ponat obstaculum, nisi forte idem sit de examine particulari, propter easdem rationes; atque ita omni studio laborandum est, ut illud recte fiat.

Fines & fructus huius Exercitij sunt duo illi qui titulo illius comprehenduntur. *Ad purgationem animæ, & ad peccatorum confessionem utilissimum.* Puritas acquiritur tribus mediis. Primò, Cognitione radicis interioris vitiorum, ut eam præscindamus. Secundò, Exteriores

teriores lapsus occasiones notando , vt  
eas remoueamus. Tertiò , Dolore &  
odio peccatorum ; vnde nascitur pro-  
positum & cura ea emendandi.

Omnia illa per examen acquiruntur.

1. Radix vitiosa deprehenditur, no-  
tando in quæ peccata magis ordinariè  
& frequentiùs labamur; quod is qui se  
non examinat scire non potest. Velut  
is qui ordinariè à domo suâ abest, scire  
nequit quid ibi rerum agatur, nec qui  
ibi committantur , & vnde illi proue-  
niant defectus:

2. Examine hoc in notitiam veni-  
mus occasionum externarum , vt eas  
fugiamus. Velut is qui in saxum ali-  
quod impingens cadit ; si non refle-  
ctat , nec lapsus istius causam conside-  
ret, vix aliàs tales incursus effugiet , &  
frequentiùs cadat necesse est: sic qui  
per examen hoc ad occasiones defe-  
ctuum & peccatorum non reflectit ,  
quomodo eas deserere , & ab iis sibi  
cavere poterit : haud dubiè frequen-  
tiùs in eadem relabetur.

E 3      3. Do-

3. Dolor, & emendationis propositum ad quartum & quintum examinis Punctum pertinent.

Secundus finis est *Peccatorum Confessio*. Quæ ut vtiliter fiat, debet esse clara, integra, & cum dolore & emendationis proposito fieri debet. Ad integratem multùm iuuat tertium Punctum examinis: qui enim in eo peccata illo die commissa in memoriam reuocare studet, facile eorum Confessionis tempore recordabitur. Et quamuis non sit obligatio confitendi venialia; quia tamen illa propter maiorem animæ puritatem confitemur, æquum est, ut eadem etiam, propter eamdem causam, & spiritualem nostrum profectum, quotidie examinemus. Quòd si ita non fiat, contingit, vt Confessionem instituamus solis verbis, & modis dicendi tam generalibus, vt commisceamus frequenter grauiores culpas leuioribus, & iis etiam quæ culpâ vacant: & hinc prouenit, quòd tametsi culpa maior vel minor, aut etiam nulla fit,

fit, confessio tamen sit eadem, iisdemque verbis speciosis, & tamquam impressis, prolata. Quæ omnia declarant, quod examen cum exiguâ luce rerumque notitiâ, & in genere etiam eadem, & non maiori confusione factum sit.

Alium etiam defectum, eumq; grauem, solent habere confessiones, dum nempe cum exiguâ contritione, hoc est absque dolore & emendationis proposito, fiunt: cui occurritur, si sollicitè & benè seruentur duo postrema Puncta examinis.

### MEDITATIO DE PECCATIS.

**H**Oc die fiet Meditatio de peccatis, ut quis ea cognoscat, & fugiat. Et innititur hæc Meditatio quatuor Punctis fundamenti: exempli causâ, capiendo pro regulâ ultimum finem, propter quem reliquæ omnes creaturæ, & nos creati sumus; tum no-

E 4 . tando